ELEGIA DE GLORIOSA RESVRRECTIONE DOMINI IESV CHRISTI, SALVATORIS NOSTRI: ET ASCENSIONE IN COELVM. DEQVE MISSIONE SPIRITVS SANCTI IN APOSTOLOS.

AD MAGNIFICVM DOMINVM, D. STANISLAVM LASSOCKI, SVCCAMERARIVM TERRÆ LANCICIENSIS, &c. SCRIPTA

À
MATHIA VNCTORIO.

AD ROMA: XIIII.
Siue uiuimus, siue morimur, Domini sumus: In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, Vt mortuis & uiuentibus dominaretur.

CRACOVIAE
LAZARVS ANDREÆ IMPRESSIT.
Anno à redempto mundo,
M.D.LXI.

MAGNIFICO AC GENEROSO DOMINO, D. STANISLAO LASSOCKI, SVCCAMERARIO TERRÆ LANCICIENSIS, DOMINO SVO SVMMA OBSERVANTIA COLENDISSIMO.

Nobilis & Generoſe Baro noua gloria Phœbi,
Ecce ſalutatum te mea Muſa venit.
Annua nam cecinit multos celebrata per annos
Feſta, quibus Chriſtus clara trophæa tulit.
Hæc precor vt multis virtutum dotibus auctus,
Suſcipias animo munera grata tuo.

VESTRÆ MAGNIFICENTIÆ

ADDICTISSIMVS

MATHIAS VNCTORIVS.

ELEGIA
DE GLORIOSA RESVRRECTIONE DOMINI IESV CHRISTI, SALVAtoris noſtri: Et Aſcenſione in cœlum: Deq́ miſsione Spiritus Sancti in Apoſtolos.

Dulce redit tempus, ſua dum ſol climata vertit,
Frigora miteſcunt, gramine gaudet humus.
Quo ſolet hîc nobis meditari Eccleſia Ieſu,
Λύτρον, quod verè natus in orbe tulit.
Cœleſtis ſoboles ſanctiſsima patris imago,
Factus homo ſoluit debita λύτρα patri.
Hic promiſſus Adæ, peragit mandata parentis,
In mundo exiſtens & fit ad aſtra via.
Quod referunt veterum ſignis miracula paſsim,
Atq; ea promittit voce tonante Deus.
Ecce dies veniet, quo uincula triſtia legis,
Prædæ ceſſabunt, ſæua Barathra tuæ.
Ceſſarunt, cunctos famulos dum faucibus Orci
Eripit, & tollit quicquid ad ima ruit.
Vt Iacobæa domus Pharaonis pergraue tollit,
Sic Sathanæ Chriſtus frangit & ipſe, iugum.
Æthereas magna ſedes bonitate relinquens,
Naſcitur, & frangit fortia ſepta lupi.
Alis ac veluti paſsis gallina nouellos
Defendit pullos, ſic cruce Chriſtus agit
Legibus à Stygijs, ſpoliata ſede Draconis,
Inſontes animas duxit ad aſtra patrum.

Hæc igitur benefacta tonantis voce sonemus,
Atq; pios demus mente fideq́; sonos.
Clara dies lucem referens vbi tertia fulsit,
Lux rediјt mundo, carneq́; viuus adest.
Obtulit & surgens Mariæ se charus alumnæ,
Quæ retulit Dominum viuere discipulis.
Sic simili studio dominum vidêre Mariæ:
A` dextris iuuenem qui monumenta tenet.
Angelus hic domini summo descendit Olympo,
Et tumuli lapidem voluit ab ore piјs.
Hunc pauidę trepidant, quos hic solatur et inquit:
Surrexit dominus, ponite corde metum.
Ecce locus fuerunt vbi membra recondita Iesu,
Surrexit victor, Tartara dura fregit.
Sed vos ite bonis hæc nuncia læta referte
Discipulis, simul & sint quoq; nota Petro.
Præmus it vobis Galilæas Christus in oras,
Ceu quondam præsens dixerat ille suis.
Discipulis referunt dum nuncia, credere nolunt,
Ac phantasma putant hocce fuisse leue.
Sed Petrus tumulum studiosus currit ad altum,
Signaq́; miratur dum videt ipse locum.
Et gaudet reputans secum de morte triumphos,
Lætior atq; refert ad sua tecta pedem.
Visus & est posthac uenientibus ille redemptor,
In pago cupidis noscitur ipse Deus.
Hunc optāt dominū, quem fracto pane notarant,
Vtq́; velit secum tecta subire petunt.

Omnibus

Omnibus hinc notis ſe præbuit ipſe videndum,
Et clauſis foribus nobile ad agmen adit.
Viuere ſe monſtrat, caro ſic teſtantur & oſſa,
Nec ſpectri ſpecie ludere diſcipulos.
Pluribus vtq; fidem iam poſſent credere fecit.
Dum Thomæ monſtrat ritte videre latus.
Quadraginta dies ipſis ſua dogmata verbi
Explicat, hinc iterum ſcandit ad aſtra poli.
Vt teſtes veri verbi ſint atq; Magiſtri,
Expectare iubet dona parentis eos.
Dum timuêre metu , clamant hi vocibus altis,
Promiſſa ardenti pectore dona petunt.
Ô Deus omnipotens qui corda fidelia noſti,
Ipſe tuo ſancto pneumate corda regas.
Tu λόγος æterno natus patre in auxilio ſis,
Illuſtra donis pectora noſtra tuis.
À patre procedens & gnato gloria noſtra,
Expectate Deus SPIRITVS ALme veni.
Et ſubito factus ſonitus tanquam vehementis
Flatus, completur turba domusq; ſimul.
Hinc cernunt linguas ſectas atq; igne micantes
Dona quibus tulerat Spiritus ipſe Dei.
Omnes tunc celebrant vere magnalia Chriſto,
Et referunt aliis facta ſtupenda boni.
En veniunt ex vrbe ſtatim qui uoce tremebant,
Qui cupiunt miræ geſta videre rei.
Mirantur trepidi dum ſic miracula promunt,
Edocti nullis artibus ante viri.

Talia cernentes Galilæos verba fatentur:
Audimus vera cuncta probare fide.
Tunc Petrus in medio fratrum pius ora resoluit,
Et summi docuit verba parentis eos.
Miracla & faciunt Christi virtute stupenda,
Mandata & faciunt & pia iussa Dei.
Effrenem populum multos docuêre per annos,
Sic faciunt cœtus agmina magna pij.
In patris & gnati, sancti quoq; nomina Flatus,
Gaudentes hominum pectora fœda lauant.
Quo pia posteritas purgat contagia Massæ,
Sordida quæ culpa est facta parentis Adæ.
Ac humeris Stygium patres de puluere nati
Deijciunt agni sanguine quisq; iugum.
Hoc igitur Christus paruo iunxit grege mundū,
Muneribusq; nouis auxit ouile suum.
Quo nos Christe tui diuini serua ob amorem
Nominis, & facias prospera cuncta dari.
Nunc tibi Christe Deus cœlestis imago parētis,
Ingentes grates soluimus ecce tibi.
Qui genus humanum redimens ne morte periret
Colligis hic turbam sanguine Christe tuam.
Viribus humanis haud est Ecclesia tuta,
Ni sit præsidio Christe decora tuo.
Inq; ea doctores firmas, aliosq; prophetas,
Qui faciunt doctum semper ouile tuum.
Namq; inter nutat medios hæc iusta Tyrannos,
Firmiter at constat dum tua dextra fauet.

Ergo

Ergo ipſam tuearis tu Rex vnice Chriſte,
Floreat in terris vt ſine fine tibi.
Serues ne fuci rodant hæc munera vitæ,
Qui quæſtum ſemper non tua regna canunt.
Salua relliquias noſtras, paruamq́ Sareptam:
Et ſarcire uelis hic tua regna λόγος.
Confiſiq́ tua prece Rex ô Chriſte Sacerdos,
A' ſupero petimus cuncta parente regi.
Eripias petimus de noſtro corpore curas,
Atq; tuo in terris Flamine corda regas.
Quare hodie grate tribuantur laudis honores,
Exemplo fient annua feſta pijs.
Quod pater & tu Gnate Dei, ſic Spiritus alte,
Vere da famulis dona referre fide.
Sic tibi fœcundos cultori vinea fœtus,
Dulcia vina feret, dulcia grana Deo.

τῷ θεῷ μόνῳ δόξα.

☞ *A conditione mundi usq; ad primum paſcha in exitu Iſraëlitarum ex Aegypto celebratum, & primam Pentecoſten, in qua lex Dei in monte Sinai promulgata eſt, elapſi ſunt anni 2453. A primo Paſchate uel à prima pentecoſte ueteris teſtamenti, uel promulgatione legis, quæ 50 die ab exitu de Aegypto facta eſt, usq; ad primum paſcha ſeu ad penteco ſten noui teſtamenti, in qua Spiritus ſanctus in Apoſtolos effuſus eſt, qui eſt flamma ὑφισαμένη ab æterno Patre & Filio domino noſtro Ieſu Chriſto, numerantur anni 1543. A primo paſchate ſeu ab exitu, ad natum Chriſtum 1509. Anno mundi 3963. Ad paßionem ſeu agni pro nobis immolati, Anni 1543. Scribitur eo die creatos eſſe Adam et Heuam, quo Chriſtus in Cruce pro nobis uictima factus eſt, ante annos 5523. Martij 25. A primo paſchate ſeu ab exitu ex Aegypto, usq; ad hunc annū à nato Chriſto 1561, prœterierunt anni 3070.*